



PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

# Communicationes

VOL. XLII • N. 2

---

2010

BREVIS RELATIO DE ANIMADVERSIONIBUS QUAE FACTAE SUNT  
AD SCHEMA CANONUM DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA

ANIMADVERSIONES GENERALES

Cum die 20 aprilis 1972 schema canonum de procedura administrativa missum sit praeterquam ad Em.mos Cardinales Sodales Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, ad Dicasteria et Officia S. Romanae Curiae et ad Conferentias episcopales, 64 pervenerunt usque ad hunc diem vota, quae pleraque favent ut lex de ea re fiat, fere omnia autem nonnulla proponunt vel animadvertunt, quorum praecipua hic brevi conspectu exponuntur (animadversionum origo summarie indicatur).

Quaedam generales animadversiones factae sunt de schematis forma et substantia.

Nam de locutionibus nimis technicis, quae tantummodo a iuris peritis intellegi possint, schema carpitur a nonnullis (Jinia, Bagdad); ab aliis generalius dicitur saepe locutiones in schemate adhibitas esse nimis obscuras (Bilbao, Santiago de Chile, Tanzania, Portorico).

Quod autem attinet ad schematis substantiam, imprimis est qui censeat inutiles esse cann. 1-3 et 4 § 1 (Barcelona).

Nonnullis magis placeret ut actio coram tribunalibus ordinariis proponi possit, si laesio iuris ex actu administrativo adsit (Portorico, S. C. pro Clero).

Sunt qui ipsam compatibilitatem tribunalium administrativorum cum Ecclesiae indole in dubio vocent (Vietnam), vel saltem dubitent, num possit auctoritas episcoporum ita limitari ut submittatur tribunalibus administrativis, quae non sint neque Concilium Oecumenicum neque Summus Pontifex (Vietnam, Nova Zelandia, Columbensis in Ceylon).

Contra sunt qui videantur optare ut ratio aliqua detur episcopis ut possint se defendere etiam adversus Summi Pontificis decisionem (Canada).

De opportunitate tribunalium administrativorum dubia proposita sunt, praesertim propter timorem ne actio pastoralis impediatur nimis oppositionibus et contentionibus (Vietnam, Barquisimeto), sed etiam propter difficultatem ea constituendi in multis locis (Penitenzieria Apostolica, Vietnam), et propter indolem potius paternam et pastorem, quam iuridicam, quam solent in multis regionibus habere relationes inter auctoritatem administrativam et subditos (Vietnam, ubi additur: «in cultura profunde Confuciana... recursus ad tribunal contra actum administrativum superioris est practice inconcepibilis»).

Aliqualem autem praeoccupationem circa effectus futurae legis in libertatem actionis pastoralis alii quoque expresserunt (Lusitania, Ouagadougou, Prefettura della Casa Pontificia, India): ex iis quidam suggerunt ut dicatur

solos actus administrativos « iurisdictionales » affici nova lege (Tanzania); quod revera omnino congruit cum schematis fine et verbis.

De circumscriptione tribunalibus administrativis tribuenda nonnulla sunt proposita in variam rationem: praeter alia suggestum est ut, ubi opportunum sit et possibile, unaquaeque dioecesis habeat suum tribunal administrativum (USA), quod revera schema non impedit et difficultates nonnullas optime effugeret; neque defuit qui propugnaret ut potius alicui tribunal ordinario detur munus tribunalis administrativi (Brasilia), vel, quod schema non vetat, ut in tribunalibus ordinariis sectio altera constituatur ad iudicia administrativa.

Nonnulli propugnant ut ad tribunal administrativum recurri non possit, nisi recursus hierarchicus vetetur aut nisi iam via recursus hierarchici tota peragrata sit (Bilbao); vel saltem ut decreta auctoritatum inferiorum antea ad episcopum recursu hierarchico deferantur, et postea tantum possint ad tribunal administrativum deferri (India); contra autem non deest qui velit excludere ut possit deferri ad tribunal administrativum causa, quae definitive soluta iam sit per recursum ad superiorem hierarchicum (S. C. de causis Sanctorum).

Sunt qui timent ne nimis coarctentur iura subiectiva, si de iis, quae laesa sint a decreto administrativo, contendere non possit coram tribunalibus ordinariis (Bilbao).

Sunt qui propugnant ut lex etiam pro ecclesiis orientalibus valeat (India).

Sunt qui loco legis universalis suadeant ut detur Instructio ad Conferentias episcopales, ut unaquaeque inveniat vias magis aptas ad problemata eiusmodi solvenda (Vietnam, Nova Zelandia). Similiter nonnulli, propter speciales difficultates regionum missionalium, optant ut amplientur facultates Conferentiarum episcopalium (Japonia).

#### ANIMADVERSIONES AD SINGULAS SCHEMATIS NORMAS

Animadversiones autem praecipuae ad singulas schematis normas hae sunt:

##### *Can. 1*

Nonnulli opinantur non satis perspicue ex hoc canone perspicui quatenus sint acta, quibus nova lex applicatur (Lusitania, Santiago de Chile, Bagdad, Penitentiaria Apostolica, Argentina, Australia, Corea). Peculiare dubium a quibusdam proponitur, num decreta lata a Summi Pontificis vel Oecumenici Concilii delegato a can. 1 excludantur (S. C. de causis Sanctorum).

Sunt etiam qui censeant totam legem esse limitandam ad ea sola decreta quibus fit suspensio vel dimissio ab officio (Hibernia), vel aliter aliquo modo coarctandum actuum ambitum (Nova Zelandia, Argentina).

*Can. 2*

Dubitant quidam de huius canonis perspicuitate (Lusitania, Nova Zelandia, Argentina).

Quod vero attinet ad canonis substantiam, nonnulli censent tribunal semper debere iudicium libere ferre, etiamsi quaestio de legis vel ordinationis invaliditate iam sit ad Apostolicam Sedem delata (Bilbao, Gallia); vel ut mutatio legis inferioris ab eius auctore obtineatur (Austria).

Alii censent saltem alteram canonis partem supprimendam esse, cum de iis legibus vel ordinationibus normas ferre non pertineat ad hanc novam legem (S. C. de causis Sanctorum, Polonia).

*Can. 3*

Nonnullis placet ut lex particularis a solis Conferentiis episcopalibus ferri possit (S. C. de Sacramentis, Santiago de Chile), saltem quod attinet ad terminos de quibus in can. 5 (Barcelona).

Sunt etiam quibus placet ut sola lex universalis fiat (S. C. de causis Sanctorum); quod autem attinet ad canones de singulis negotiorum generibus, ut applicetur principium de lege posteriori priorem abroganti (ead.).

*Can. 4*

Sunt qui optent ut de potestate decreta ferendi detur norma (S. C. de causis Sanctorum), vel ut definiatur quaenam res debeant vel possint administrativo tramite expediri (Bagdad).

Alii optant ut auctoritates administrativae antea generali modo proclament quaenam principia ipsae secuturae sint in usu suae potestatis discretionalis (Corea).

Locutiones hoc canone adhibitae censent quidam nimis «elásticas», ita ut privatis hominibus non praestent satis adaequatam certitudinem et securitatem iuridicam, et nimia relinquunt superioris arbitrio, praesertim quod attinet ad possibilitatem reticendi probationes (Bilbao, Santiago de Chile, Jinia, USA, S. C. de Religiosis). Sunt qui propterea, quod attinet ad secretum de probationibus, suggerunt ut norma adhibeatur similis articulo 130 Instructionis «Provida» diei 15 aug. 1936 (Prefettura della Casa Pontificia).

Plures autem carpunt quod in § 1 (id est extra casus, de quibus in § 2) patronus et peritus videatur non admitti, si id celeritati noceat (Bilbao, Santiago de Chile, Prefettura della Casa Pontificia, Costa Rica).

Constitutionem patroni ex officio, si recurrens patrono careat, quidam vellent semper fieri, non relinqui superioris iudicio (S. C. de Sacramentis, Bil-

bao); alii vellent numquam esse necessarium patronum, ne coram tribunalibus administrativis quidem (Polonia).

*Can. 5*

Nonobstante § 2, nonnulli censent terminos in § 1 statutos esse nimis longos (Bilbao, Santiago de Chile, USA, S. C. de Religiosis, Polonia, Turchia). Alii, contra, censent praevidendos esse casus, in quibus, cum terminus satis non sit, superior possit aliquam interlocutoriam decisionem dare (Austria).

Est etiam qui mavult ut, si post statutum tempus superior adhuc sileat, petitio vel recursus pro accepto, non pro reiecto, habeatur (Bilbao).

Est praeterea qui censet abolendam esse § 2 (Bilbao, Costa Rica).

Est demum qui censeat non debere admitti ut superior petitioni vel recursui non respondeat.

*Can. 6 § 1*

Est qui hanc paragraphum inutilem censeat (Barcelona).

Locutio « bonum publicum » videtur parum definita, ideoque periculosa (Bilbao).

*Can. 6 § 2*

Nonnullis visum est nimium requiri ut fere semper motiva in decreto exprimantur (Lusitania, Argentina); aliis autem pluribus periculosum visum est admitti ut, si gravissima ratio obstet, motiva reticeantur (Santiago de Chile ita etiam, ut videtur, Africa Septentrionalis); aliis vero periculosum videtur quod, etiam ubi motiva reticeantur, debeant postea iudici exprimi (Nova Zelandia).

*Can. 7 § 1*

Sunt qui opinentur periculosum esse admittere ut propter gravissima motiva omittatur traditio decreti (Bilbao, Santiago de Chile), ideoque suadent ut saltem patrono decretum tradatur sub secreto (Santiago de Chile).

Est qui suadet ut duobus testibus aequiparetur notarius ecclesiasticus (Bilbao).

*Can. 7 § 2*

Est qui suadet ut vocatio iterum fiat, si vocatus semel non comparuerit (Bilbao).

*Can. 8*

Multi mallent ut – prout erat in primis tribus schematibus – normae de recursibus ad ea quoque decreta applicentur, quae a superioribus religiosis ferun-

tur (Bilbao, India, USA, Africa Septentrionalis, Austria, S. C. de causis Sanctorum), vel saltem ad nonnulla eiusmodi decreta (Barcelona). Etiam animadversum est non posse tribunalia interna in religionibus et institutis mulierum creari (Bilbao); expedire autem ut Conferentiae Nationales Institutorum perfectionis possint tribunalia constituere, quae recipiant recursus adversus decreta a superioribus maioribus vel a capitulis provincialibus lata (S. C. de causis Sanctorum).

Contra autem Sacra Congregatio de Religiosis et Institutis Perfectionis censet non solum, ut est in schemate, instituta iuris pontificii sed etiam instituta iuris dioecesani excludenda esse a novae legis normis de recursibus.

*Can. 9*

Nonnulli suadent ut de aequa solutione extra contentiones quaerenda magis instet et urgeat legislator (Nova Zelandia, Hibernia, Canada, Corea, S. C. de Sacramentis); scilicet ipsis videtur non satis esse, si res relinquatur legi particulari, quae secundum uniuscuiusque civitatis indolem possit normas aptas quaerere in ambitu cann. 9 et 10 schematis, etiam officia vel consilia stabilia promovens.

Est etiam qui suadeat ut, postquam petitio revocationis, ad normam can. 10 facta, inutilis evaserit, debeat adhuc, antequam recursus proponatur, intentio recurrendi notificari ad decreti auctorem (S. C. de causis Sanctorum).

*Can. 10*

De huius canonis interpretatione ac vi multi quaestiones moverunt (Lusitania, Bilbao, Santiago de Chile, Polonia, Turchia, Jamaica, Barcelona, Austria); neque desunt qui hunc canonem, et fere etiam can. 9, inutilem censeant (Poenitentiaria Apostolica).

Ut petitio de qua in § 1 debeat motivis expressis esse praedita, nonnulli optant (Pont. Commissio de Migrationibus).

Terminum § 2 statutum nimis brevem esse, ideoque ad viginti dies augendum censet (Conferentia episcopalis Africae Septentrionalis).

Sunt qui censeant terminum breviorum, videlicet decem dierum, superiori dandum esse ad respondendum (S. C. de causis Sanctorum); quod tamen noceret conaminibus aequae solutionis.

Nonnullis videtur opportuna possibilitas prorogandi terminum (§3), quamvis haec prorogatio subordinetur omissae executioni; quodsi admitti omnino debeat possibilitas prorogandi, prorogatio non ultra alios triginta dies sit (Bilbao).

*Can. 11*

Suggestum est ut norma can. 11 extendatur etiam ad decreta lata de potestate vicaria (Card. Tabera); vel ut detur superiori, qui potestatem ordinariam

propriam habeat, possibilitas revocandi vel emendandi decretum postquam inutilis evaserit petitio facta ad vicarium (Austria).

*Can. 12*

Nonnulli malunt ut quilibet recursus suspendat decreti executionem (Bilbao), vel ut in nova lege recenseantur materiae in quibus haec suspensio habeatur (Barcelona).

Sunt autem qui monent ut pastoralis cura salva fiat, quoties decreti executio suspendatur (Nova Zelandia).

*Can. 13*

A nonnullis propugnatur ut sine limite Ordinarius possit ad tribunal administrativum locale dioecesanum deferre controversias sibi delatas, et generatim ut superior hierarchicus possit semper ad tribunal recursus remittere (Lusitania); ab aliis praefertur ut satis sit voluntas recurrentis (Polonia); ab aliis autem ut numquam hic transitus fieri possit (Poenitentiaria Apostolica, USA).

Permulsis non placet possibilitas transeundi, etiam omnibus consentientibus, a via iudiciali ad viam administrativam (Bilbao, Poenitentiaria Apostolica, USA).

*Can. 15*

Est qui censeat etiam recursum hierarchicum non esse admittendum nisi propter certa motiva a lege statuta (Card. Tabera).

Terminus ad recursum hierarchicum nonnullis placeret ut esset triginta dierum (S. C. de causis Sanctorum), vel viginti (Africa Septentrionalis).

Nonnulli suadent ut determinentur quinam sint superiores hierarchici, ad quos recursus fieri possit, neque res remittatur, uti fit in can. 15 § 1 schematis, ad ius vicens (USA, Ceylon, Card. Tabera, Gallia).

*Can. 16*

Est qui censeat non debere superiori hierarchico aliam tribui potestatem, quam ut confirmet vel revocet decretum (Bilbao, USA).

*Can. 17*

Nonnulli censent nimis incertam esse delimitationem motivorum, praeter legis violationem (Vietnam, Bilbao, Poenitentiaria Apostolica, Australia); alii, contra, opinantur expedire ut nulla limitatio fiat motivorum, sicuti nulla fit in can. 15 § 1 (Prefectura della Casa Pontificia). Illud praesertim a nonnullis carpitur motivum de violatis generalibus iuris aequitatisque canonicae principiis (Vietnam, Armachania).

Pontificia Commissio pro migrationibus exoptat ut, post expletam proceduram can. 10, possit adiri tribunal administrativum loci in quo recurrens versatur.

*Can. 18*

Quidam censent reparationem damnorum non esse limitandam ad casum laesionis iuris subiectivi (Prefettura della Casa Pontificia); quod alii quoque implicite significant.

Etiā propositum est ut statuatur utrum de damnis respondeat officium an superior qui decretum dedit (S. C. pro Clero).

Proponitur ut ad petitionem de damnis proponendam idem sit terminus, qui statuitur ad ceteros recursus ad tribunalia administrativa (S. C. de causis Sanctorum).

*Can. 19*

Optant quidam ut definiatur quaenam sint inferiores auctoritates; praesertim autem dubitatio locum habere videtur, quoties agitur de consociationibus, quae non sint religiones vel instituta perfectionis (Bilbao).

*Can. 20*

Nonnullis non placet ut, si adsit tribunal locale secundi gradus, appellatio adversus sententiam primi gradus possit ad Signaturam deferri (Canada); nonnullis autem placeret ut semper constituatur tribunal locale secundi gradus, et ut Signatura videat solum in tertio gradu (S. C. de Sacramentis).

*Can. 21*

Nonnullis non placet quod decreta Conferentiae episcopalis habeantur maioris auctoritatis quam decreta singulorum episcoporum, eo vel magis quod haec saepe fiant ex ipsius Conferentiae suggestione (Gallia). Animadversum etiam est fieri posse ut de decretis Conferentiae eiusque organis melius possit iudicare tribunal locale (praesertim ubi agitur de relationibus inter Ecclesiam et Statum), quam Apostolica Signatura.

*Can. 22*

Compluribus magis placet ut promotor iustitiae semper his processibus adsit (Argentina, Gallia, Turchia, S. C. pro Clero), sicuti praevium erat in schematibus primo, secundo et tertio; vel saltem ut semper debeat adesse, quoties controversia bonum publicum tangit (Santiago de Chile).

Nonnulli autem propugnant ut in primo gradu tribunal sit semper unius iudicis (Canada), solius vel cum duobus assessoribus (Austria); vel saltem ut semper admittatur in primo gradu tribunal unius iudicis, nisi pars renuat (Bilbao). Alii contra censent numquam esse admittendum tribunal unius iudicis (Santiago de Chile), vel permitti posse in nonnullis, non autem in omnibus, negotiis (Gallia).

#### DE DIACONIS VEL LAICIS ADMITTENDIS

De diaconis vel laicis admittendis haec animadversa sunt:

*a)* ut admittatur etiam collegium quod constet ex sacerdote et duobus diaconis vel laicis (Bilbao, Santiago de Chile), vel ex iudice unico sacerdote cum duobus assessoribus laicis (Austria);

*b)* ut non debeat haberi «necessitas», sed in quolibet casu possit iudex laicus nominari (Jamaica);

*c)* ut admittantur diaconus et laicus etiam ubi debeat iudicari de decreto ab episcopo lato (Bilbao, Jamaica);

*d)* ut mulier quoque possit esse iudex (Canada, USA, Jamaica);

*e)* ut numquam diaconus vel laicus possit esse iudex (Tanger, Pont. Commissio pro Migrationibus).

Sunt autem quibus placet ut unus saltem e iudicibus debeat esse episcopus (India), vel etiam ut omnes iudices sint episcopi si debeat iudicari de decreto ab episcopo lato (Argentina).

Exclusio absoluta iudicis ad eam dioecesim pertinentis in qua decretum latum est a quibusdam reprobatur, sive quod difficile interdum esse potest iudices invenire (Argentina, Dominicana), sive quod iudex eiusdem dioecesis melius adiuncta cognoscit (Vietnam), sive quod non debet suspicio de defectu independentiae eo ipso haberi (Bilbao). Sunt qui proponant ut saltem ei normae possit derogari si partes consentiant (Australia).

Sunt autem qui censent esse addendas normas, quibus caveatur ut iudices sint vere independentes (Gallia, Panama et alii), vel alias normas de qualitatibus et incompatibilitatibus iudicum.

\* \* \*

#### *Can. 23*

Est qui propugnet, ut, nisi gravis causa contrarium suadeat, suspensio executionis semper decernatur (Santiago de Chile).

*Can. 24*

Aequiparatio superioris aliorumque ad reum conventum non placet nonnullis:

- a)* quia nimia iura iis tribuit (Bilbao);
- b)* quia est contra superioris decorem (Gallia).

*Can. 25*

Nonnullis magis placeret, ut normae de procedura summaria hic ferantur, vel ut recipiantur cann. 453-467 Motu Proprio de iudiciis pro Ecclesia Orientali, vel ut normae de processu contentioso summario in schema futuri Codicis receptae, vel normae de processu coram iudice unico in Civitate Vaticana vigentes, vel etiam recens schema Bavaricum (Austria, Mediolanum, S. C. pro Clero); vel etiam norma unica, statuens ut omissis formalitatibus iudicialibus, procedatur summarie, servata aequitate et iustitia (Hibernia, et, ut videtur, Canada, Africa Septentrionalis).

PIUS CIPROTTI